

G. H. DE DISCENDA GRAECA LINGVA ORATIO SECVNDA.

Duo sunt fere anni, humanissimi auditores, ex quo vobis adiumentum aliquod ad Graecarum literarum intelligentiam, nobilissimaeque linguae cognitionem attulimus. Ac tum quidem eam, non quo voluimus, emolumento, atque fructu, (neque enim vel animo euentus, vel sementi messis respondebat) sed qua potuimus sedulitate, ac studio explicauimus. Quo minus iam vobis mirum videri debet, si tam sero eam prouinciam, tamque inuitus suscipiam, quam abiecerim videlicet antea libentissime. Quam vellem mediusfidius ego vos Graece non solum intelligere optime (quod est nobis tamen in hac lingua praecipuum) verum etiam & scribere, & dicere, cum erit occasio, explicate: (quod plus prae se ferre videtur perfectionis): sed malo quemuis alium [ad hunc laborem assumatis], quam me: cui neque lingua ista tam familiaris est, quam [esse vellem: & sunt aliae] semper pernecessariae occupationes, quibus vix me laxare aliquando, [exsoluere ne vix] quidem vnquam possum. Nec Aula profecto Pembrochiana non multos habet, Graece perliteratos: qui si tam libenter id facere vellent, quam possent bene: nec indigere iam vos mea opera aliqua possetis, nec desiderare vnquam deberetis. Sed cum nemo illorum praestare velit, quod eorum iam multi, cum ad suam laudem praeclare, tum ad vestram vtilitatem fructuose valerent: necessitatis ego potius hoc munere, ad praestitutum tempus perfungi malui: quam desertos a me pati eos, quos ad communium, elegantiumque literarum laudem, erudire, ut praelector, debeo: informare cupio, vt amicus. In Latinis iam pridem multi multum; aliqui egregie; admirabiliter nonnulli; omnesque aliquid profecerunt: Romam nemo non vidit: Ciceronem quisque audiuit, pro his contra illos, pro illis contra hos perorantem: Senatum, populumque Romanum cognoscitis: Quirites, patresque conscriptos habetis familiares: Rostrum, Forum, Curiam, Capitolium, Comitiam, Campum Martium, Iouis Statoris, caeterorumque Deorum, Dearumque immortalium, fana, atque templa, Pontifices Maximos, flamines, vestales, supplicationes, prouincias etiam, & colonias, & municipia, vrbisque socios aspexistis. In Graeciam vt aliquando tandem plenissimis velis nauigetis, ipsarumque Athenarum suauissimo conspectu oculos pascatis: nec Rhetoricam modo, philosophicamque Attici, verum etiam politicam, atque Topicam V[...] peregrinationem meditemini: non solum, vt auditores moneo, sed plane rogo, vt amicos. Perlustranda quam primum, vrbs omnium, quas Sol vnquam iste aspexit, eloquentissima, doctissima, sapientissima, paene etiam dixerim, fortissima. Conueniendus ibi Isocrates: recipiendus in familiaritatem Lucianus: audiendus saepe Demosthenes: saepe Solon: Poetae non negligendi, Euripides praesertim, id est fortasse Socrates, & Euripidis, ac potius Musarum pater, Homerus, id est, ipse forsitan Apollo: consulendi Historici, & Philosophi; maximeque Politici, in primisque princeps ille ingenij, & doctrinae Plato, eiusque nobilissimus aequalis Xenophon, adeundi: aureum Aristotelis flumen, in Rhetoricis potissimum, & Ethicis, & politicis redundans, atque profluens, degustandum: omnes istorum perartificiosae arculae, & μυροθήκια perscrutanda: Graecorum magnificae opes, atque copiae perdiligenter explorandae.

*Graijs ingenium: Graijs dedit ore Rotundo
Musa loqui; Praeter laudem nullius avaris.*

Agite igitur, mei auditores, & quam in lingua Latina industriam, atque operam, magna

cum laude vestra, maiore fructu, maxima amicorum voluptate; eandem, vel non multo minorem in Graia ista, tam ingeniosa, tam rotunda, tam vndiquaque laudata figitote. - *Exempla Graeca*

Nocturna versate manu, versate diurna.

Vt idem ille vobis artifex suadet. Ac nisi nudiustertius Orationem audiuissetis, quae vos non modo ad intermissa Academiarum literarum spacia reuocare, sed etiam ad omnem cum Latinae, tum Graecae eruditionis, atque virtutis laudem excitare posset: id ego iam fortasse praestare deberem copiosius: certe aggredi vellem studiosius. Nihil enim praeclaris, & excellentibus ingenijs dignius esse sentio, quam assidue in omni vita, cunctisque fortunae actibus, atque scenis cogitare, non ad inertiam, aut nescio quas corporis voluptates, sed ad gloriam, atque dignitatem procreatos esse nos; in eaque primo quoquo tempore adipiscenda, studium peracre, & ardorem quendam vehementissimi amoris adhibendum. Nunc vero cum neminem vestrum esse putem, qui non iustissimis illis pulcherrimarum artium praeconijs inflammatus, in omnem ingenij contentionem avidissime incumbat, rerumque amplissimarum immensam difficultatem generosa quadam laboris patientia frangere moliatur, non est, vt opinor, quod in eo magnopere, tanquam in salebra, haereamus. Vnum illud fortasse satis est, vos vt moneam, atque orem, ne summum hoc studium aliquando remittatis, vestraque semper & in magnarum, praestantiumque rerum cognitione, Ethicarum praesertim, atque Physicarum, & in dicendi potissimum, disserendique artificio, singularis vigeat industria. Nam neque satis eruditus quisquam sine constantia, & assiduitate quadam laboris vnquam fuit: & in medio quasi curriculo languescere, homuncionis est ignavi, ac dissoluti. Verum Spartam ego cum nactus sim, ornare eam fortassis accuratius, vosque ad studium Spartanae, Atticaeque linguae, cuius mihi explicandae delegata prouincia est, circumcisis ambagibus istis, atque parergis, debeo cohortari. Nam caetera ferme Neuellus vester ita est semper executus, vt me admonitore, nullo modo in praesenti egeatis. Ac nonnullos quidem vestrum meminisse arbitror, quemadmodum hanc vobis linguam tum, cum alieni muneris vicarius aliquando essem, & ab antiquitate; & a copia; & ab elegantia; & a lepore, atque salibus; & a multiplici eruditione; & a dignitate, maiestate, foelicitate commendarim: & postremo ab optimorum in omni genere varietate scriptorum: vt caetera, siqua fuerunt, consimilia praetermittam. Iis enim vsus rationibus exemplisque sum, quae plurimum apud vos posse existimarem. Verum tanta, & tam luculenta argumenti huius, non solum vtilissimi, sed etiam amplissimi vbertas, atque copia est, vt, si centies, aut etiam millies mihi perorandum sit, nouus tamen semper orationis suppeditet, isque meo iudicio pulcherrimus, atque magnificentissimus apparatus. Ac hodierno nimirum die, ita vobiscum agam, auditores mei, & sic orationem temperabo, vt Graecae linguae, cum vtilitatem in omni erudita, liberalique professione permagnam, tum vero in plerisque necessitatem prope summam agnoscatis. Neque enim vel dubia, vel obscura ἐπιχειρήματα consecabor: non initium rei demonstrandae petam altius: ea dicam, quae non mihi solum, sed vobis, vti spero, vniuersis, sed grammaticis pueris, sed infantibus paene ipsis in promptu sint. Sic namque rem ante oculos positam, & in clarissima luce collocatam, commodissime poteritis dijudicare. Reuocate igitur paulisper in memoriam, nomina artium, quae familiares nostri τεχνικὰ appellant; & earum si videbitur, partes, omnes partiumque ipsarum particulas, animo percurritote. Vultis incipiam a Grammatica? Agnoscitis Graecum vocabulum: & ἀπὸ τοῦ γράμματος deductum esse meministis. Quid eius partes, Etymologia, & Syntaxis? Quid illae quasi venae, per vniuersum Grammaticae corpus diffusae, Orthographia, & Prosodia? nonne omnes sanguinis sunt quadam cognatione coniunctae, ab iisdemque veluti natalibus oriundae? Etymologia autem vna, Deus bone, quam suae gentis veste

gloriatur? Nam genus Epicoenum, monosyllaba, & polysyllaba, patronymica, heteroclita, aptota, monoptota, diptota, triptota, anomala, eodem haec quasi filo texta sunt omnia: quae tamen ipsa non raro, vel in Latinis etiam Grammaticis reperiuntur. Quid, quod infinita paene vocabula apud optimos, lectissimosque latinitatis auctores passim occurrunt, & quibus nunc disertissimi homines pro Latinis saepenumero vtuntur, quorum notationes, qui Graece nesciunt, nullo modo poterit enodare? Etenim quotusquisque tandem eorum, qui Latinos Poetas lectitant, & Poetarum, poematumque nomen semper in ore habent, se etiam ipsos, tanquam egregios, ac praecellentes poetas apud populares suos iactant, propter ignorationem linguae, quam nondum attigerunt, nominis huius originem, & quasi stirpem, vnde generatum est, intelligit? Quod si pergas modo, ab iisque Comicorum, Tragicorum, Epicorum, caeterorumque poetarum, quos assidue peruoluunt, nomina vt interpretari velint, contendas, multo hic
[2] [Nnnn. 8r]

obmutescant magis, necessum est. Quomodo enim vel comoediae, vel tragoediae ortum a fonte repetent, qui nunquam neque κομῆς, nec ᾠδης, nec τράγου vocabula audiuerunt? Iam Epici, cur ita nominentur, siquis roget; quid tandem respondere poteritis, cui ἔπος instar transmarini alicuius monstri, aut etiam Empusae, habere videatur? Nam de nouem Musis, tribusque charitibus quaerere, nimis esset longum: quarum ne a facie quidem, Analphabetisti* nouerunt aliquam. Graeca est Calliope: Graeca Clio: Graeca Erato: Graeca Thalia Musa: Graeca Melpomene: Graeca Terpsichore: Graeca Euterpe: Graeca Polymnia: Graeca denique Vrania. Et, nos quoque, o boni, sumus Graecae: inquit Aglaia, Thalia charis, Euphrosyne: nec vnde tamen per Iouem, aut quomodo videtis, qui, vt ille, nihil nisi classes, & exercitus, sic nihil nisi Musas, atque charites eloquimini. Eademque nimirum sapientia, Historias permulti, & quos vocant, Historiographos, eorumque duas manus, Chronologiam, & Tophographiam, in manus sumunt: a quibus rationem verbi si repositas, tam elingues, atque mutos deprehendes, quam ipsos, quod aiunt, pisces. Quid dicam de librorum Graecis inscriptionibus, quae tam frequentes apud nostros, inueniuntur? Legunt pueri Catonis Disticha: legunt Varronis de Etymologia, & Analogia libros: legunt Aesopi Apologos: legunt Eunuchum, Heautontimorumenon, Adelphos Terentij, id est Latini Menandri: legunt Plauti Amphitrionem: Epidicum: Menaechmos: Pseudolum: Stichum: in quibus, aliisque prope cunctis comoedijs, nemo fere loquitur, non Graijs prognatus parentibus, maximeque Atticis: legunt Bucolica, Georgica, & Aeneida Virgilij: legunt Mantuani, Sanazarij, aliorumque Eclogas: legunt Nasonis Heroidum Epistolas, Elegias, μεταμορφώσεις: legunt M. Tullij non modo Epistolas, & Dialogos, sed Paradoxa, atque Topica: legunt Erasmi Apophthegmata, Parabolas, Chiliades, Moriae Encomium: legunt Textoris Epitheta: Tuscanellae Epitheta, & Antitheta: legunt Aphthonij sophistae Progymnasmata: legunt Horatij Odas, Epistolas, Satyras: legunt Epigrammata Martialis: Zodiacum Palyngenij: Alciati Emblemata: legunt Titi Liuij Decades: legunt Christi Euangelium: Praxes Apostolorum: Apocalypsin Ioannis: Parabolas, & Ecclesiasten Solomonis: Genesin, Exodum, Deuteronomium*, Mosis: Paralipomena: Prophetas: Psalmos: habent istorum omnium Scholia: habent Glossas: habent Epitomas, Paraphrases, Analyses, Exegesesis, Schematismos: habent verborum, atque rerum Elenchos: habent Lexica: sed quos libros quotidie legunt, eorum ne appellationes quidem ipsas, & Epigraphas intelligunt. Iam si forte in Agri, aut domi mentionem incidas, si Animae, Famaeque vim omnem perlibenter exploraturum te affirmes: si nocte Lampadem accendi iubeas: si Pallas Phoebusque Cuiates fuerint, interroges: & boui quatuor pedes cur natura dederit: & an scholastici esse debeant Aulici: an Philosophi, Syndici: quis te Graece locutum aliquid

suspiciabitur, nisi Graece iam ante eruditus? Et tamen ista omnia; Ager, Domus, Anima, Fama; nox, lampas; Pallas, Phoebus, bos, pes, scholasticus, Aulicus; Philosophus, Syndychus; in Graecia illa quidem nata, Romae tantum educata sunt. Edo etiam, & propino, & impleo, & gigno, & lego, & fero, & luo, & percello, & algeo, & adoleo, & pater, & mater, & Spurius, & Paedagogus, & gubernator, & gymnasium, & agnus, & angelus, & Ecclesia, & aer, & aether, & magis, a Graeco μάλλον, si Pompeio Festo credimus, & Coma, & Obolus*, & talentum, & Pharetra, & scopus, & podagra, & tyrannus, & talia prope innumera; eiusdem quidem nationis, sed alterius esse familiae sentiunt literati: Grammaticorum nostrorum, quotusquisque suspicatur? Nec deesse credo, qui per Deum ipsum iurent, Deum Latinum esse, non Graium. Quid hic Lyr[...] illum nominem, Theologum suae aetatis paene singularem, certe summum? qui Hypocritam voluit ab *hypos*, quod est, sub & *crisis*, Aurum, appellari: quia sub Auro ut ait, exterioris conuersationis habet absconditum plumbum falsitatis. Neque enim Senilis haec, sed Anilis deliratio. Quid Petrum Comestorem perstringam, hominem illis temporibus haud obscurum, qui Eunuchos in Euangelio dici existimat, tanquam bene vincentes: ab *Eu*, quod est bene, & *Nuche*, victoria: quia summa nimirum haec illi videbatur esse, & fere Angelica victoria! Quid eius auctoritatem eleuem, inscitiam notem, qui in Theologicis lucubrationibus, Diabolum traxisse nomen scribit (lepido mehercule, & perfaceto Etymologiae Elencho) a *Dia*, hoc est, duo, & *bolus*, morsus: quod duobus scilicet morsibus totum hominem deuoret: vno corpus, altero Animam? Quid infinita paene doctorum indoctorum errata in nominibus interpretandis persequar: quae nunc pueri ipsi & sentiunt facile, & irrident vehementer? Nam eorum pleraeque omnes Annotationes, nihil aliud fere, nisi absurdas, atque ridiculas Notationes continent: & Commentorum illae quidem potius, quam Commentariorum nomen meruerunt. At minuta ista forsitan dixerit

[3] [Nnnn. 8v]

quispiam. At minutulus Grammaticus est, qui minuta ista nescit. At in his elaborare non placuit. At Platoni apud Graecos; Varroni apud Romanos; id est duobus Graeciae, Italiaeque ornamentis, atque luminibus placuit. At alia maiora praestiterunt. At ne haec quidem minora erant negligenda: eoque minus, quo magis pudendum est, in rebus paruis, ac puerilibus decipi, quam in grauibus errare controuersijs. Atque haec de Etymologia hactenus. Nam in Latina Syntaxi, praeter ipsius nomen, non ita multa sunt, e Graecorum Officinis accersita. Quanquam illa etiam interdum & Anomaliam, & Ellipsin, & nonnulla id genus alia in suum quasi regnum, ac ditionem admittere videatur. Iam quae ad Prosodiam, & Orthographiam pertinent, sunt illa quidem & numero aliquando plura, & notatu digniora: ut ὑποστιγμη, Comma, Parenthesis, Colon, Periodus, & si qua sunt eiusdem tribus: sunt autem non pauca, apud Sturmium praesertim, & Erythraeum, de Periodis. Nam in vberissimos Rhetorum, & amplissimos campos propero: in quibus maximae sunt, Graiorum, ut ita dicam, Militum, Ducumque copiae. Primum regina ipsa, atque Princeps, antiquissimo est Graecorum satu orta, (nam de ῥῶ, ni fallor, quod ex vetere, ῥέω contractum fluxit, iam pridem inaudiuistis;) & populares in castris, atque prouincijs suis alit plusquam sexcentos. Sunt autem gemina illis castra: Elocutionis; quam Aristoteles, & Hermogenes λέξις, Phalereus ἐρμηνείαν, Quintilianus φράσις vocat: Et pronunciationis, siue actionis, quae tum ὑπόκρισις, tum [. . . φωνή] nominatur. Nam illa nimirum inuentionis, dispositionis, memoriae, non ad linguam, sed ad mentem; non ad eloquentiam, sed ad sapientiam; non ad Orationem, sed ad rationem pertinent, & propterea non tam Rhetoricae nostrae, quam sororis suae Dialecticae videri possunt, atque debent. Elocutioni igitur, Tropi,

atque Schemata inseruiunt. Ac tropus quidem omnis vel Metonymiae, vel Ironiae, vel Metaphorae, vel Synecdoches vexillum sequitur. Quanquam siquis forte paulo durior, asperiorque inciderit, Catachresis, si audacior, aut elatior, Hyperbole; si frequentior, atque crebrior, Allegoria solet vsurpari. Iam vero Schemata in duas quasi Centurias distributa cernimus, quae fere etiam externas, atque aduentitias vestes induerunt, Atticumque Pallium, quam Romanam togam maluerunt. Dictionis enim sunt haec: Rythmus, Metrum, & Hyperbaton; Epizeuxis, Anadiplosis, Climax, Anaphora, Epistrophe (quae vna nimirum, *πάρισα* illa, & *ἰσόκωλα*, & *ἀντίθετα*, & *ὁμοίόπτωτα*, & *ὁμοιοτέλευτα*, tam ambitiose a Graecorum sophistis affectata, complectitur) Symploce, Epanalepsis, Epanodos, Paronomasia, & Polypoton, quam lepidae lexeis, vt aiebat ille? Sententiae autem; in *λογισμῶ* quidem Ecphonesis, Parrhesia, Epanorthosis, Aposiopesis, Apostrophe, Prosopopaea: in *διαλογισμῶ* vero, Aporia, Anacoinosis, Prolepsis, Epitrope. Quae vt nec omnia, nec omnes audeant: at plerique tamen Rhetores, pleraque solent in Latinorum Collegium cooptare, & quodammodo Romana donare ciuitate. Mitto pronuntiationis Monotoniam*, & Chironomiam, (sic enim appellat Quintilianus*:) mitto veteres huius artis Magistros; Phonascos, Scenicos, Palaestricos, Pantomimos, Chirosophos: & ad diligentem venio disserendi rationem. Quandoquidem ipsa etiam non Latina, sed Graia est, & cohortes quoque aliquas habet domesticas, & consanguineas. Nam & a *διαλέγεσθαι* Dialecticam, & a *λογίζεσθαι* Logicam deriuatam esse constat: & Topica, quae dicuntur, de inuentione, & Analytica, atque Apodictica, de Iudicio, Categoria etiam, & comparationis protasis, atque Apodosis, & Analogia, & Axioma, & Dianoia, & syllogismus, & prosyllogismus, & Epichirema, & Enthymema, & Methodus, & Crypsis, & alia item non pauca, ex eadem vrbe ascita prodierunt. Atque hic mihi scilicet, famosus ille Archilogicus, Petrus Hispanus, vt erat omnis Graecae, Latinaeque literaturae rudis, quasi obiter videtur insimulandus: quippe qui Dialecticam in sua elegantissima Dialectica censuit, a praeclaro illo *dia*, quod est duo, & *logos*, sermo, quasi duorum sermonem, vel etiam a *lexis*, quod est, ratio, quasi duorum rationem nominari. Sed ariolus erat potius, quam interpres: nec ratione aliqua nitebatur, sed leuicula ducebatur coniectura: in eoque tam imperitum sese praebuit Grammaticum, quam in reliquis absurdum Dialecticum. Quod erit vobis etiam, mihi credite, saepius in Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticis necessario faciendum: nisi Graecum sermonem; e quo noster, siqua Fabio tribuenda fides, maxima ex parte formatus, atque conuersus est; & ad intelligendum optime; & ad loquendum non pessime didiceritis. Eademque videlicet reliquarum artium ratio, atque conditio est: & quidem apud Mathematicos praesertim, atque Physicos, (ut de Ethicis, Oeconomicis, Politicis taceam) Graecorum vocabulorum plena sunt omnia: nec vlla fere in illis, non dico pagina, sed linea, sine Cubi, Octaedri, Dodecaedri, Icosaedri, Coni, Pyramidis, Cylindri, Isoscelis, Rhombi, Parallelogrammi; Sphaerae etiam, & Poli, & Centri, & Zodiaci, & Zonae, & Horizontis, & Planetarum, & Astrorum, & Meteorum, & istiusmodi

[4] Oooo.

infinitorum mentione. Verum & abstrusiora videri possunt ignorantibus, quae tam reconditis a fontibus hauriuntur: & Exempla iam satis multa, atque luculenta conuessimus, ad id, quod voluimus, demonstrandum. Nec vero quenquam esse vestrum existimo, qui non protinus Arguiarum literarum studium, necessario sibi suscipiendum arbitratur: vtpote quae nullum omnino habent inimicum, nisi ignorantem: & quas ij soli aspernantur, qui, ne subturpe illis videatur non habere, quod habere debent, & non habent: eas iniuria, partim vt superuacaneas rejciunt: partim negligunt, vt contemnendas: partim, vt pueriles, atque vanas, insectantur.

Caeterum ineptissimarum calumniarum leuitatem, non tam Erasmi, aut Budaei, aut Croci, aut alterius cuiuspiam Apologiae, quam res iam pridem ipsa abunde refutauit: docuitque non temere ante tot annos euenisse, vt vir tantus, quantum fuisse Marcum Catonem Censorium Historiae omnes prodiderunt, tam auide Graecas in senectute literas, inter tot forenses, domesticasque operas, atque curas, arriperet, docente Ennio. Nam de Augustino quid dicam: qui iam Episcopus, iam senex, iam plurimis, iisdemque grauissimis occupationibus distractus, ad easdem sibi puero fastiditas est reuersus? Quid tot alios sexagenarios* commemorem, qui patrum, auorumque nostrorum memoria, in Graecarum literarum studium acerrime incubuerunt; ab Emanuele Chrysolora, Ioanne Lascare, Demetrio Chalcondyle, aliisque nonnullis praestantibus Graecis; (qui Othomanicis armis patria eiecti, in Italiam confluxerunt*) non ita multo ante in his Europae partibus, post septingentos annos renouatum? Hosne stultos vsurpabimus, an eos potius, qui sapientissimis hominibus, stultitiae notam; doctissimis, inscitiae maculam inurere voluerunt? Sed quis vnquam Herculem laudauit? Et sunt Graecae literae vel centum Herculibus multo laudatiores: dum eorundem alij necessitatem ostendunt: alij multiplicem vtilitatem praedicant: alij copiam admirantur, & faelicitatem linguae: alij antiquitatem iactantes, Romanaeque anteferentes, filiam matri iubent cedere: alij scriptores, vt facile omnium signiferos, atque principes, in caelo ponunt: alij Athenarum nomine ipso gloriantur: & Poetarum, Oratorum, Philosophorum, Mathematicorum, Imperatorum Graecorum, in primisque Atheniensium, Catalogos texunt: alij alia Elogia, praeconiaque accumulunt, vndique conquisita, & comportata. In quibus vos literis, ita laudatis, atque celebratis, vt summa cum iucunditate, non modo singulari fructu versemini, Optimi Auditores: legendum vobis in primis, non Poetam aliquem flexiloquum, sed Oratorem suauissimum, doctissimis sententijs, atque optimis verbis circumfluentem, Isocratem existimaui: cuius olim domus, vniuersae Graeciae quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi: & quem non magis libri bene dixisse testantur, vt scite Quintilianus, quam discipuli bene docuisse. Etenim eorum mihi sententia non satis arridet, imo sane displicet maxime, qui Sophoclem primum, aut Euripidem, aut ipsum, si Dijs placet, Homerum, aut huiusmodi aliquem Tragicum, vel Heroicum Poetam, in manus sumendum opinantur, nihilque nisi grandiloquum nescio quid admittunt, & sublime. Equidem meos ego discipulos prius loqui velim, quam canere, aut buccinare incipiant: atque etiam tantisper ingredi, dum per aetatis, artisque robur, saltare, atque tripudiare posse videantur. Sunt autem Poetarum scripta, tanquam cantatorum, ac saltatorum ludi: quos aliquando quidem, quis negat? sed suo tempore frequentare debeamus. Neque enim quisquam mihi vnquam triobolarium* Ludimagistrorum persuadebit, commodius esse, Latine vel omnino nescientibus, vel iam primum scire incipientibus, Catonis nescio cuius Disticha, aut Virgilij Bucolica perdiscere, quam Paradoxa, aut Epistolas familiares Ciceronis: quarum facillimas quasque, atque breuissimas, velim esse primas: vtpote tenellis ingenijs maxime accommodatas. Itaque discipulos, sibi commendatos, qui aliter instituunt, aut destituunt potius, nihilo mihi sapientiores videntur ijs nutricibus, quae pro lacte, vinum, hoc est, venenum infantibus pueris infundunt, atque ita molles ipsorum neruos miserandum in modum adurunt, atque viscera. Ego vero multo magis illorum institutum probo, & propterea etiam sequor, amplectorque libentius, qui auctores, vel propter elegantem facilitatem iucundos, vel propter admirabilem iucunditatem faciles, vsque legunt, interpretantur, explanant, dum purum illud discipuli sint, & candidum, & familiare, & quasi lacteum, atque liquidum, & enucleatum, minimeque Poeticum sermonis genus assecuti. Etenim nulla vel maior, vel certior ad discendum illecebra esse potest, quam sine vllis difficultatum salebris, tanquam sedatus, placidusque amnis, fluens Oratio. Quod cum ita sit, vt sane est, Isocratem vobis praeter caeteros, Oratorem meo

iudicio omnium, qui sunt, qui fuerunt, fortassis etiam qui futuri sunt, dulcissimum, (ne eum quidem ipsum excipio, ex cuius lingua melle dulciorem fluxisse Orationem ait Homerus) & ornandae, illustrandaeque dictionis, auctorem, vt ille inquit, locupletissimum, & plane Atticam (sic enim quasi propria descriptione
[5] [Oooo. 1v]

perhibebatur) Syrenem; non modo euoluendum semel, sed saepius reuoluendum, & in delicijs, atque amoribus habendum propono. Facilis est incipientibus: suavis progredientibus: elegans, & concinnus intelligentibus: verbis limatus: sententijs creber: membris, atque clausulis numerosus: ita eloquens, vt nemo sapientior: ita sapiens, vt nemo eloquentior reperiatur: perfectus vtroque magister, & tam prudentiae fructu abundans, quam dictionis flore gratiosus: & quidem ista omnia praeter caeteros: adeo vt solus fere, Horatianum illud, tanquam proprium, atque suum vindicare posse, nescio quo indultum vel Naturae, vel Artis priuilegio, videatur:

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile Dulci. Quid, quod haec ipsa Nicoclea, tam Ethica, & politica sunt, vt ne Platonis quidem, aut Aristotelis fusioribus Ethicis, & Politicis magnopere cedere videantur: & propterea e Graecis non ita pridem, a Ludouico Regio, doctissimo Aulico, facta Gallica, in potentissimi Regis nomine meruerint apparere? Verum ista in singularum Analysis sententiarum, cum distinctius, tum etiam cumulatius. Sat est interim, si eum quasi per transennam videatis, in cuius nitidissimis, suauissimisque oculis, vestri debebunt oculi in posterum habitare. Hoc enim praeiudicati adferre huc oportet, non vnum esse e multis, quem studiose legatis: sed singularem ex omnibus, quem potissimum eligatis: nec tam meo docendi ordine fieri, quam sua dignitate esse primum. Equidem non temere soleo ὑπερβολικῶς laudare: & mihi certe talis est iam pridem visus, qualis duobus a me Hexametris aliquando depingebatur: non solum; Eloquio quasi Musica viua, & mascula Suada: quod est praeclarum: verumetiam, Consilio Deus, & tanquam Sophia ipsa animata: quod est multo magis admirabile. Etenim tantum abest, eos vt admirer, qui solum elocutionis apparatus ostentant, nullam fundunt ingenij, rationisque frugem, & linguam accuratius perpolientes, Mentem impolitam relinquunt, atque rudem: vt nihil soleam in hoc ore habere frequentius, quam quod Ioui tribuit in fabula Auienus: nos Iambicis isto modo adolescentiores expressimus.

*Dij olim quas Arbores in Honorem suum
Sacrari vellent, legerunt: Quercus Ioui:
Mirtus veneri: Laurus Phaebo: Neptuno
Pinus: populus celsa Herculi placuit.
Minerua admirans, cur steriles sumerent,
Causam rogauit facti: retulit Iupiter
Honorem ne videantur Fructu vendere.
At illa, Hercle, inquit, quod quisque voluerit:
Nobis Oliua propter fructum est gratior.
Tum sic Deum genitor, hominumque sator:
O nata, sapiens iure omnibus videbere:
Stulta enim gloria, nisi vtile est, quod agimus.*

Quam ego fabulam, aut potius fabulae sententiam, Iouis oraculo comprobata, ad nostrae huius Palladae, atque Atticae Oliuae, id est Isocraticae laudis duplicandum honorem, atque gloriam repetitam velim. Quam vt vos, Mei Carissimi Auditores, aliquanto plenius sentiat, vnaque tantae & eloquentiae, suauitatisque florem, & sapientiae, grauitatisque fructum percipiat

vberius; tot mihi video Analyses necessario adhibendas, quot sunt excellentissimi scriptoris eximiae, ac prope singulares virtutes: Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, & Philosophicam, hoc est, quod dixi, Ethicam, atque Politicam. Quarum omnium, singularumque quasi quendam gustum, Crastinae meae Prelectiones, fauente Deo, suppeditabunt. Sic enim facillime, tanquam in Crystallino speculo, conspicietis, quicquid erit in tam illustri Oratore, tamque diuino philosopho, Palladis filio, & Maternae eloquentiae, prudentiaeque Haerede, vel ad pompam, ac speciem venustum, atque pulchrum, vel ad pugnam, vsumque fructuosum.

PROSIT.

[6] [Oooo. 2r]

page 2

* τέχνικα

page 3

* Analphabetiisti

* Deutoronomium

* Obulus

page 4

* Monotomiam

* Quintillianus

page 5

* sexagenarios

* confluxuerunt

* triobularium